

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 1

Sigibertus rex Francorum, vir inlustris, Grimoaldo majori domus. Singulariter et per cuncta feliciter ad mercedis nostrae augmentum credimus pertinere, si larga munera summi Dei omnipotentis devota mente offerre non dubitamus, quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, quando ex propria voluntate compendia servorum Dei destinare non dubitat. Ideoque sub devotione animae nostrae, cum consilio magnificorum apostolicorum Chunebertic, Memoriani, Godonis, vel inlustrium virorum Grimoaldi, Bobonis, Adalgisili, monasterium regulare in honore patroni nostri Petri, Pauli. Johannis vel ceterorum martyrum, in terra nostra silva Ardenense in loco qui dicitur Casecongidunus quem Sesomiris fluvius cingere videtur, et ex nostrae largitatis munere juxta patrum traditionem coenobium construere volumus, et ibidem Christo auspice Remaglum abbatem constituimus, qualiter ibidem secundum ordinem et monita antiquorum patrum conversari debeat. Sic tamen, ut de ipso castro et ripa fluminis in directum leuuas tres de silva nostra Uriacinse cum ipsa venna dominica quae dicitur Dognulfi, cum Probardo, Babone vel junioribus eorum qui ibidem deservire videntur, a die presente concedimus ad possidendum; similiter desuper ipso castro ex alia silva dominica alias tres leuuas et in directum iterum alias tres leuuas, necnon et aliam venellam in fluviolo nuncupante Alisna, ubi illa petra pro quadrata est. Haec omnia ad usus eorum servorum Dei cum emunitate nostra visi fuimus condonasse, ut habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant, ut potius eis delectet attentius pio Domino preces incessabiliter fundere. Et ut haec preceptio firma atque inviolata permaneat, manus nostrae subscriptionibus subter eam decrevimus roborari.